



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VII. De diuersitate Animarum eiusdem speciei inter se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

tam forte respondebis, illam esse eminenter heterogeneam, & indiuisibiliter petere eas diuersas dispositiones. Hæc solutio ludit verbis: esse enim eminenter heterogeneam, nihil aliud est, quam ipsam petere per se diuersas dispositiones; quo sensu ego etiam dicam, animas omnes brutorum eminenter heterogeneas. Quod verò de indiuisibilitate affertur, non est ad rem: nam si res indiuisibilis potest petere eas diuersas dispositiones per se omnes determinatè, certè tam bene, si non melius, res composita, & plures habens partes, poterit petere pro illis eas dispositiones, ita vt quælibet pars modo dicto petat illas vel pro se vel pro alijs suis compartibus, vt & ab ipsis aduersarijs necessariò dicendum esse, ostendit in partibus similibus carnis, ossis, &c. & contra aliquos in vnionis partibus, quæ similes ponuntur.

Hic posset inquiri, an casu quo partes animæ materialis sint heterogeneæ, dicendæ sint in homine partes vnionis etiam heterogeneæ. Negat Hurtadus, eò quòd extrema vnita semper sint eiusdem rationis in capite, corde, &c. nam vnio non est ad dispositiones, sed ad materiam, & animam rationalem, quæ vbique est eadem. Nihilominus tamen puto omnino, consequentiùs dici, eas partes esse diuersas inter se, quòd supra satis ostensum est, dum exemplo vnionis argumentatus sum probans, illam esse, quæ ad sui conseruationem eas dispositiones petit, non verò animam, quia hæc sine vnione conseruari potest; dicere autem, animam eas petere vt vnita conseruetur, idem est ac dicere, Vnio illas petit ad conseruationem sui. Ergo sicut anima materialis petit diuersas dispositiones pro sui conseruatione, & inde inferunt diuersitatem partium; ita quia vnio humana pro sui conseruatione diuersas petit dispositiones, debet etiam diuersitatem partium illius inferre.

Ratio autem opposita non vrget: nam licet extrema non sint diuersa inter se, potest formaliter ea vnio à se ipsa diuersitatem accipere ob diuersas exigentias diuersarum dispositionum, sicut alibi dixi, ab eodem principio circa eundem terminum posse esse actiones diuersas; à posteriori autem ex ea diuersitate accidentium rectè colligitur ea vnionis diuersitas in eà sententiâ, de animarum heterogeneitate.

SECTIO VII.

De diuersitate Animarum eiusdem speciei inter se.

QVÆSTIO hæc communis est ad omnia indiuidua cuiuscumque speciei, etiam inanimatæ, ideoque propriè ad Metaphysicam spectare videbatur; video tamen, eam communiter in præsentia discuti, & cum his, quæ de heterogeneitate partium eiusdem animæ diximus, non parum esse connexam, ideo eam hic tractandam suscepi. Et quidem quoad partes animæ dixi paulò antè, si inter se aliquo modo diuersæ ponantur, & ligatæ eis dispositionibus quas habent, eas futuras omnino diuersas in specie, iuxta earum dispositionum diuersitatem.

Duo ergo possunt in præsentia dubitari. Primum est, an possint duo indiuidua eiusdem spe-

ciei, v. g. duæ animæ rationales, aliquam inter se habere dissimilitudinem: Alterum, an omnium indiuidua necessariò debeant esse inter se dissimilia, ideoque repugnet inter aliqua duo summa similitudo.

Ante quæstionis explicationem suppono Primò (quod probabitur fusè Sectione 4.) non esse idem, dissimilitudinem & inæqualitatem, ideoque rectè posse duo aliqua esse dissimilia, & tamen æqualem habere perfectionem: filiatio enim, & spiratio, & paternitas in diuinis sunt relationes dissimiles, omnino tamen æquales in perfectione.

Suppono Secundò, quæstionem hanc partim esse de nomine, partim de re: de nomine, quatenus inquiritur, vtùm qualibet dissimilitudo dicenda sit specifica; de re, vtùm possint aliqua duo omnino inter se esse similia.

Præmittendum Tertio quid sit similitudo. Eam non esse formaliter æqualitatem, iam insinuauimus, estque omnino certum: æqualitas enim perfectionis consistit in eo, quòd vna res sit tam bona quam altera; hoc autem non dicit formaliter, vnum esse eiusdem speciei cum altero (potest enia rubedo fortasse esse tam bona quam sit viriditas, & tamen certum est, eas non esse inter se omnino similes;) consistit ergo similitudo in eo, quòd vnum sit sicut aliud. Quòd si à me petas

vt ulteriorem declarationem illius, quid scilicet sit, vnum esse sicut aliud, dicam tibi, hos esse terminos per se notos & doctis & idiotis, nec posse amplius declarari, nisi fortè vt confundantur, v. g. ego sim homo, & Petrus sit homo; ego sim animal, equus sit animal: sed quia, licet ego & equus sintus verè animal, ego tamen rationale, ille irrationale, ideo non sumus omnino similes.

Aliqui fundant eam similitudinem in eo, quòd possint similia concipi vno conceptu ea non distinguente. Fator, eo ipso quòd sit similitudo, & intellectus aliquis capax cognoscendi confusè, possè illa duo concipi sine distinctione; verum arbitror omnino, similitudinem non consistere in hoc. Moueor Primò, quia etiam si impossibilis esset omnis intellectus, essent tamen Petrus & Paulus verè inter se similes: tunc autem non daretur tale fundamentum ad eam confusionem.

Secundò, non ideo sunt similes, quia possunt inter se confundi, sed è contrariò ideo possunt inter se confundi, quia sunt similes; ergo similitudo est causa fundans eam capacitatem confusionis, ergo non consistit in eà capacitate, sicut rationale fundans risibilitatem non constituitur in ratione talis per risibilitatem. Vbi rursus ex dictis addo, neque quoad nos explicari similitudinem, per hoc quòd possint vnicò conceptu cognosci; ratio enim à me facta hoc idem probat: nam nos etiam non damus pro ratione similitudinis eam cognoscibilitatem vnicò actu, sed potius similitudinem dicimus esse rationem eius cognoscibilitatis.

Quòd si rursus similitudinem per cognoscibilitatem explicaremus, faceremus vitioium circulum; ergo etiam nos in aliâ explicatione seu alijs terminis debemus hære: non video autem meliores, quam quos supra posui, vnum esse sicut aliud.

Fortè replicabis: Quando dicis, vnum esse hominem, alterum esse hominem, & in hoc consistere similitudinem, iam recurris ad conceptum eundem

eundem vel nomen idem, quod scilicet ambo dicantur homo. Respondeo, propterea à me supra dictum, illos terminos, vnum esse sicut aliud, fortè obscurari magis, quando eos magis volumus explicare. Secundò addo, non esse idem, vtrumque in se esse homines, & cognosci à me

222 vno conceptu aut vno nomine. Licet enim ego eos non conciperem vno conceptu aut nomine, verè in se essent ambo homines & animalia rationalia, ac principia discurrendi & sentiendi, quod per se videtur ex terminis notum; ergo non explico ego similitudinem per ordinem ad conceptus vel nomen, non enim dico, *quia vocatur homo, aut concipitur vno conceptu*, sed quia in se sunt verè homines, animalia substantiæ, &c. quæ ponderanda pro dicendis infra. In quo consistat formaliter similitudinis fundamentum, an sit re-
latio, an verò denominatio extrinseca, dixi Disputazione XII. Logicæ à num. 18. Quomodo autem duo possint esse similia & dissimilia inter se etiam sine vllâ distinctione formalitatum, eò quòd similitudo non consistit in indiuisibili, ostendi fuisse Disputazione VII. Logicæ, à num. 13. vbi disparitatem inter similitudinem & æqualitatem constitui, quòd æqualitas consistit in indiuisibili.

223 Vnde non possunt duo absolute & simpliciter esse æqualia & inæqualia, possunt tamen similia, & dissimilia; quòd reducendum esse ad id quòd vox *æqualitas* & vox *similitudo* significant, ibidem etiam ostendi.

SVBSECTIO PRIMÆ.

Individua eiusdem speciei possunt esse æqualia & dissimilia inter se.

PRIMA CONCLUSIO. Non est necessarium, omnia individua eiusdem speciei esse inæqualia inter se. Probatur ex dicendis Sectione 4. vbi ostenditur, etiam duo individua diuersarum specierum posse esse omnino inter se æqualia, vt patet in relationibus Patris & Filij diuini, quæ licet differant inter se, omnino tamen sunt æquales. Ratio à priori est, quia licet Petrus v. g. habeat negationem Pauli, quam non habet ipse Paulus, ideoque aliquo modo differunt, de quo statim; Paulus tamen etiam habet negationem aliam Petri, quo manent inter se æquales: neque enim est melius esse Paulum, & habere negationem Petri, quam esse Petrum, & habere negationem Pauli, aut è contrario.

224 SECUNDA CONCLUSIO. Possunt duo individua eiusdem speciei aliquam habere dissimilitudinem inter se. Hæc est communis inter recentiores, aduersatur tamen pluribus ex antiquioribus. Non probo Conclusionem ex visionibus Beatorum terminatis ad diuersas creaturas in Deo, siue ad diuersa obiecta materialia, quæ visiones adhuc sunt inter se eiusdem speciei, vt hic nonnulli argumentantur: non, inquam, probo hoc argumento, quia censeo, eas visiones diuersas esse in specie, iuxta dicta in Logicâ, vbi ostendi, etiam ex diuersitate specificâ obiectorum materialium proximorum diuersificari actus in specie. Melius ergo probatur, quia ex communi modo loquendi, Petrus & Paulus v. g. sunt eiusdem speciei, & tamen hi habent aliquam dissimilitudinem inter se, ergo possunt duo individua eiusdem speciei

esse aliquo modo dissimilia, nec quæcumque dissimilitudo dicenda est specifica. Probo Minorem, in quâ sola est difficultas, quia Petrus & Paulus includunt vniones aliquo modo inter se dissimiles, ergo & ipsi inter se aliquo modo differunt. Consequentia est bona. Antecedens probatur, quia vnio Petri essentialiter respicit Petrum, & vnio Pauli essentialiter respicit Paulum, magisque conueniunt inter se duæ vniones respicientes eandem formam & materiam Petri, quam vnio respiciens Petrum, comparata cum vnione respiciente Paulum; illæ enim conueniunt in hoc, quòd est, respicere eundem terminum, in quo non conueniunt hæc alia, ergo hæc habent aliquam dissimilitudinem inter se, ergo Petrus & Paulus includunt vniones aliquo modo inter se dissimiles, ergo ipsi inter se differunt. In ipsis vnionibus, non veniendo ad homines, fit idem argumentum: nam illæ sunt eiusdem speciei inter se, & differunt in hoc, quòd vna respicit Paulum, altera autem Petrum. Fit etiam in cognitionibus, in appetitionibus, in actionibus, & in omnibus modis: magis enim conueniunt inter se duo modi eiusdem subiecti numero, quam si comparentur cum alijs alterius subiecti, & diuæ cognitiones de Petro, quam vna de Paulo, & alia de Ioanne, &c. ergo possunt duo individua eiusdem speciei esse inter se aliquo modo dissimilia.

Respondebis fortè, hos modos & cognitiones specie differre, item Petrum & Paulum ratione vnionum. Sed contrâ, quia nullus vnquam dixit, visiones huius & illius albedinis esse inter se specie diuersas. Contrâ deinde, quia saltem duæ visiones eiusdem numero albedinis ab eadem potentia factæ non sunt diuersæ speciei, nec duæ animæ rationales, & tamen hæc sunt inter se aliquo modo dissimiles; ergo duo individua eiusdem speciei, possunt esse inter se dissimilia æqualiter. Probo Minorem: nam anima Petri v. g. est capax vnionis dissimilis ab vnione, cuius est capax anima Pauli, ergo ipsæ animæ aliquam etiam habent dissimilitudinem, habent enim respectus essentielles ad diuersas vniones. Idem est in visionibus eiusdem obiecti & ortis ab eadem potentia, quæ tamen diuersis vnionibus vniantur cum eâ potentia. Imò, si verum est, vnionem Petri & Pauli esse diuersas in specie (vt tu contendis) etiam ipsæ animæ erunt diuersæ in specie, habent enim respectus specie diuersos ratione vnionum diuersarum speciei; ergo vel debes dicere, non posse esse duas animas, aut duas cognitiones eiusdem speciei, quòd nequaquam audebis asserere; vel debes fateri, posse duo individua eiusdem speciei esse inter se dissimilia aequaliter.

SVBSECTIO SECUNDA.

Duo individua eiusdem speciei possunt esse inæqualia inter se.

TERTIA CONCLUSIO. Possunt esse aliqua individua eiusdem speciei inter se aequaliter inæqualia. Probatur, quia cognitio de Petro solo non differt specie à cognitione de Ioanne & Paulo, vt fatentur omnes, sed cognitio de Ioanne & Paulo simul, perfectior est, quia plura obiecta re-
presen-

presentat, quam cognitio de solo Petro; ergo duo individua eiusdem speciei possunt esse inæqualia. Respondent aliqui, illam maiorem perfectionem esse extensivam & accidentalem Logice. Sed contra, quia ille actus indivisibiliter & essentialiter per seipsum est representativus eorum plurium obiectorum, ergo in se essentialiter physice habet illam maiorem perfectionem. Item tam identificata est cum eius substantia ea representatio duorum, quam ratio cognitionis; ergo intensivè est physice perfectior. Quod autem Logice id sit accidentale, per accidens est ad nostrum intentum: solum enim inquirimus in presenti, utrum duo individua eiusdem speciei possint physice esse inæqualia, quod videtur prædicto exemplo efficaciter probatum. Respondent alij, qui contrarium opinantur, cognitionem de duobus hominibus differre specie intrinsicè à visione de tribus aut de uno, licet ex parte obiecti seu speciei obiectivè non differant (quod clariùs dicitur) licet obiecta non differant.

Aduerte, nos hic iam esse in purâ questione de nomine, de inæqualitate enim earum cognitionum constat nobis; an autem ea dicenda sit specifica, an non, est pura questio de nomine; in quâ ex hoc capite dupliciter valde solutio præcedens: nam ex ea sequitur, in principis ipsorum me absolute differre specie ab alio homine quocumque, & in modo vel unico puncto materiae me maior aut minor sit, & me post minimam nutritionem vel corruptionem à me ipso differre specie, quod planè est absurdum. Sequelam verò euidenter probat: nam unio tenens se ex parte animæ, est in sententiâ horum indivisibilis, & respiciens omnes partes materiae, quibus de facto est unita anima; ergo si unio plures partes materiae indivisibiliter connectens est specie intrinsicè diversa ab alterâ unione connectente pauciores, omnes homines habebunt diversas specie uniones, si aequaliter sunt inæquales in corpore; ergo ratione illarum unionum diversarum, spectantium ad essentiam hominis, ipsi erunt inter se specie diversi, & quilibet à seipso differet specie, quando acquirit vel amittit unicum punctum materiae: & si vel unica gutta sanguinis cadat ex naribus, iam homo habet diversam unionem in specie ab eâ quam antea; quo nihil potest, quoad modum loquendi, absurdius dici. Ob hoc idem argumentum reieci supra sententiam horum de indivisibilitate unionis. Ergo dicendum est, eas visiones, vnam de tribus punctis albedinis, aliam de duobus aut quatuor, non esse specie diversas. Atqui sunt aliquo modo inæquales substantialiter (vt negari nequit) ergo non quæcumque inæqualitas vocanda est specifica. Confirmatur: id quod propriè constituit res specie diversas, non est inæqualitas, sed dissimilitudo (vt Sectione sequenti dicam) & tamen hoc non obstante non quæcumque dissimilitudo causat diversitatem specificam, vt ex dictis Subsectione 1. constat, & conceditur ab adversariis; ergo neque quæcumque inæqualitas sufficit ad diversificandum specie.

Contra hanc doctrinam multa congeruntur. Primò enim fusè hi conantur probare, non posse duo esse simpliciter æqualia & inæqualia inter se, quia æquale & inæquale opponuntur privatiuè. Vnde inferunt, non posse absolute ea duo indiui-

dua dici æqualia in ratione specificâ, & inæqualia in individuali; sed si in hac sunt æqualia, etiam debere esse in specificâ, & consequenter specie inæqualia, ergo & diversa.

Sed in primis, nullus dicit, ea individua esse absolute æqualia & inæqualia; iam enim supra ostensum est, æqualitatem consistere in indivisibili, vnde in hoc probando, non erat necessarium defudare. Præterea nos, qui negamus præcisiones obiectivas, & ea prædicata contradictoria, in eadem indivisibili entitate, etiam dicimus, non posse rationem specificam esse æqualem, individualem verò inæqualem: sunt enim idem formalissimè ex parte obiecti, specifica ratio & individualis, & quod convenit vni convenit alteri; sed solum dicimus, eas rationes específicas & individuales esse inæquales alteri, tam parum tamen utramque excedi, vt non possit excessus ille dici specificus, hoc est notabilis, sed individualis, id est parvus. Et, ni ego valde erro, puto, præsentem difficultatem prorsus eandem esse in similitudine & dissimilitudine: sicut enim non potest ratio specifica esse æqualis, & individuatio inæqualis; ita non potest ratio specifica esse similis, & individualis non esse similis, sed quicquid de individuali prædicatur, debet etiam prædicari de specifica & genericâ; sicut inæqualitas, quæ prædicatur de individuatione, debet prædicari de specie, hæc omnino manifesta. Vnde rursus infero euidenter, Ergo sicut licet mea ratio specifica sit dissimilis Ioanni, quia mea individuatio per te est dissimilis (& quod prædicatur de meâ individuacione, debet prædicari de meâ specifica) adhuc tamen non dicis, eam esse dissimilitudinem specificam: aliud enim est, rationem specificam esse dissimilem, aliud esse dissimilem specificè; & aliud est, meam animalitatem seu rationem genericam esse dissimilem, aliud, esse dissimilem genericè: ita eisdem terminis obiectioni tuæ respondeo, ea quidem conuinci, rationem specificam, imò & genericam (do tibi plura quam petas) inæqualem esse inter hæc duo individua, sed nego eas esse inæquales specificè; illud enim primum, solum significat, supra totam entitatem cadere inæqualitatem, quod verum est; hoc autem secundum significat eam inæqualitatem valde magnam esse, quod non consequitur necessariò ex primo: potest enim res indivisibilis alteri esse inæqualis, & tota excedi ab aliâ, non tamen excedi valde, sed parum; sicut tota essentia est dissimilis, sed valde parum. Neque in puncto presenti vllam video inter similitudinem & æqualitatem differentiam, præsertim cum, vt supra dixi, dissimilitudo sit, quæ propriè diversitatem specificam causat, nec inæqualitas ad eam requiratur, vt fuis in frâ ostendam.

Obiicies Secundò cum eisdem: Si duo individua possent esse inæqualia inter se, sequeretur, esse & non esse diversæ speciei, quod implicat: non esse, quia ita supponis; esse verò, quia excessus ille in perfectione faceret differre plus quam numero, & prædicaretur in quid de pluribus, scilicet de his quæ essent æqualia; ergo ille excessus esset prædicatum specificum, & consequenter, quæ carerent illo, differrent specie ab his in quibus illud idem esset. Sed contra, quia hoc argumentum patitur manifestam instantiam in duabus visionibus de eodem Petro, de quibus est præ-

prædicabilis nõ sola ratio visionis humane, sed infra illam adhuc esse visionem de eodem Petro, in quo conueniunt inter se, & differunt à visione de Paulo, & tamen non propterea dicunt aduersarij illud prædicatum esse specificum; idem ergo dicam & ego de eo excessu in perfectione.

239 Respondebis fortè, Primò, non quodcumque prædicatum, quod facit differre plus quàm numero, & prædicatur in quid de pluribus, esse specificum, sed vterius requiri vt prædicatum illud afferat secum aliquam inæqualitatem. Sed contrà, quia hac solutione Primò evertitur argumentum, quo contra nos vsi fuere aduersarij: nam illius vis in eo consistit, quòd non possit esse differentia maior numericà, quæ non sit specificà; in præsentem autem iam admittunt differentiam maiorem numericà, & maiorem specificà: quo etiam tenentur admittere inæqualitatem maiorem specificà, & maiorem numericà, præsertim cum differentia non exigat inæqualitatem, sed dissimilitudinem, vt dixi; ergo si hanc admittunt inter indiuidua eiusdem speciei, debent etiam & inæqualitatem admittere. Contrà Secundò, quia petunt principium aduersarij in hac solutione: ego enim contendo probare, posse indiuidua esse inæqualia aliquo modo, quia possunt esse aliquo modo dissimilia, respondent autem, inæqualitatem obesse conuenientiam specificà, dissimilitudinem vero non, nec vllam reddunt disparitatem; sed non miror, quia non potest assignari.

240 Respondent Secundò, duas vniones Petri habere quidem prædicatum commune, illud tamen esse indiuiduale. Contrà Primò, nam manifestè petitur principium; ego enim sic arguo: Prædicatum illud, quod prædicatur de multis, non est indiuiduale; atqui esse vnionem Petri, prædicatur de multis, ergo non est indiuiduale, sed specificum, & in hoc sensu ipsa ratio indiuidui completi, quamuis prædicatur de multis, reducitur tamen ad speciem. Hi verò respondent, eam vnionem esse prædicatum commune, indiuiduale tamen, quod formalissimè ego impugno. Contrà Secundò, quia illud prædicatum habet sub se indiuidua adhuc magis similia, ergo non est indiuiduale, quia indiuiduum non habet sub se indiuiduum. Contrà tandem magis ad rem, quia hoc idem ego dicam de inæqualitate, de qua iam est tota lis, scilicet illum excessum in perfectione communem aliquibus esse, tamen solum communè indiuidualiter; ergo idem est de tuà dissimilitudine, quod de meà inæqualitate. Absolutè ergo respondeo argumento, conuenientiam numericam admittere magis & minus, sicut admittit conuenientia genericà magis & minus: neque enim necessum est, vt omnes species alicuius generis infimi sint inter se æquales, possunt enim duæ magis conuenire inter se (v. g. mulus & iumentum) quàm cum alijs (iumentum cum equo aut cum homine;) ita similiter possunt duo indiuidua eiusdem speciei magis inter se conuenire quàm cum alijs eiusdem speciei, item & esse minus inæqualia. Rogabis ergo, quanta conuenientia sufficiat ad differentiam specificam, quanta verò ad numericam. Respondeo, vix posse certò determinari. Ad specificam dico requiri notabilem differentiam: quæ autem notabilis sit, quæ non, pendet ex acceptione communi. Pro quo aduerte contra nonnullos recentiores, videntes hanc

doctrinam, eò quòd differentia specificà non pendeat ex acceptione hominum, & consequenter nec ad illam attendenda sit communis acceptio. Aduerte, inquam, aliud esse, differentiam indiuiduorum in se non pendere ex acceptione hominum, & hoc fateor illis libentissimè, res enim omnes à seipsis habent differre vel conuenire; aliud verò esse, quòd hæc vel illa differentia dicatur specificà, aut solum numericà: hoc autem pendet ex acceptione vocis huius, *differentia specificà*, sicut Petrum esse pusillum, vel magnam itaturà, non pendet ex acceptione hominum, pendet autem quòd habeat vnam vel duas vnas ex acceptione hominum circa vocem *vnus*. si enim illam acciperent pro mensurà quatuor palmorum vt accipitur in Hispanià, non habebit duas vnas, quia solum habet sex palmos altitudinis; si verò vnà accipitur non pro tam longà mensurà, sed trium palmorum, vt hic Praga, tunc ille habebit duas vnas longitudinis, non quia Petrus in se efficiatur maior vel minor ex voluntate Hispanorum aut Boëmorum, sed quia eius magnitudo potest diuersis mensuris significari ex diuersa acceptione hominum circa nomina significancia mensuras. Ita similiter hoc, quod est differre, non pendet ex acceptione hominum, pendet autem, quòd ea differentia dicatur numericà, specificà, aut genericà; quam obrem consultò dixi supra Sectionis initio, in quæstione hæc totum ferè esse de nomine.

Obiicies Tertio: Si semel admittatur, posse dari inter indiuidua eiusdem speciei maiorem aut maiorem conuenientiam, sequeretur, si darentur viginti millia animarum inæqualium inter se ita, vt omnes se gradatim excederent, primam secundà, & hanc tertiam, illas esse eiusdem speciei omnes inter se, vt supponimus, & non esse: licet enim prima à secundà non differret notabiliter, prima tamen ab vltimà non dubium quin maximè distaret, & consequenter differret specie, quia iam haberet notabilem differentiam. Respondent aliqui, negando, posse esse tot animas eiusdem speciei inæquales inter se hoc ordine, quia intra inæqualitatem indiuidualem non potest tantus reperiri excessus. Sed contrà efficaciter Primò ad hominem, quia ipsi admittunt, visiones beatas omnes esse eiusdem speciei, quantumuis ad plura & diuersa specie obiecta materialia terminentur. Pone ergo, vnã visionem terminari ad Deum & ad vnã creaturam, aliam ad Deum & ad duas creaturas, & sic vsque ad vltimam, quæ terminentur ad viginti millia creaturarum, & fortè de facto datur maior excessus inter visionem beatissimæ Virginis, & visionem paruuli cum solâ gratiâ baptismali decedentis, vel saltem inter visionem humanitatis Christi Domini, & paruuli infantis, & tamen hæc visiones per te solo numero distinguuntur, ergo iam inter indiuidua eiusdem speciei dari potest ille magnus excessus, qui supponebatur in argumento. Nam quantum ad præsentem difficultatem perinde se habet, siue exemplum ponatur in animabus, siue in actibus, dummodò omnes sint eiusdem speciei. Contrà Secundò absolutè, quia licet ex obiectis materialibus specie diuersis differantur actus, non tamen differantur specie ex obiectis solo numero distinctis: quapropter visio de Petro & Paulo non differt specie à

SUBSECTIO TERTIA.

Duo individua eiusdem speciei possunt esse omnino similia.

visione de solo Petro. Pon ergo cognitionem indiuersibilem de viginti millibus hominum, eamque compara cum visione de vno præcisè; ecce inter has duas datur ille excessus quem argumentum supponebat, & tamen sunt eiusdem speciei, ergo intra vnicam speciem potest dari tantus excessus.

Respondent Secundò, supremam & vltimam ex illis animabus differre notabiliter solum secundum quid, ideoque non differre specie, quia diuersitas specifica debet esse notabilis simpliciter: quòd verò non differant notabiliter simpliciter, sed secundum quid, probant inde, quia tota inæqualitas est intra aliquam rationem superiorem in finem. Sed contrà, quia hæc est manifesta petitio principij: aduertarij enim probant, non posse eam differentiam esse intra vnicam rationem superiorem atomam, quia est differentia notabilis, hi verò negant esse notabilem, quia est intra aliquam rationem superiorem in finem, quòd non probant, sed supponunt, & consequenter reddunt conclusionem pro ratione. Confirmo impugnationem, quia pari ratione dicam, differentiam multi, & alini non esse notabilem simpliciter, sed secundum quid: nam licet in se magna videatur, semper tamen sub eadem ratione animalis.

Respondetis, rationem animalis esse genericam, at illam rationem visionis vt sic, esse specificam. Sed hæc est alia bona petitio principij: ego enim probò, illam rationem esse genericam, quia differentia intra illam contenta sunt magna; tu dicis, etiam si sint magna, non esse specificas, quia ratio, intra quam continentur, est specifica, vbi idem probas per idem.

Aliunde ergo melius responderi potest, eam inæqualitatem non futuram specificam, quia solum est ex multiplicatione respectuum omnino similibus in actibus, quòd non facit ad prudentem estimationem differentiam specificam. Item in animabus non est notabilis ea differentia, quia non defumitur in ordine ad operationes specie diuersas, sed ad easdem paulò facilius vel intensius efficiendas, & in ordine ad actus indiuidualiter perfectiores, quia sunt representatiui plurimum obiectorum numero, quæ differentia non censetur notabilis communiter. Vel in hac questione de nomine posses dicere, etiam si secundum indiuiduum non differat specie à primo, illud tamen, quòd tam multum distaret, v. g. vigesies millesimum, differre specie à primo, ita vt inter ea quæ tali numero distarent, esset differentia specifica, quia veniret ad differentiam notabilem; ea verò, quæ minus distarent, futura eiusdem speciei: quo casu non esset bonum argumentum, Hæc duo sunt eiusdem speciei inter se, ergo quòd est eiusdem cum vno, erit etiam cum altero: quia ille vigesies millesimus, & octingentesimus, inter se essent eiusdem speciei, vnus tamen differret specie à primo, alter verò non, sed de hac questione de nomine hæc sufficiant.

QVARTA CONCLUSIO. Non est necessarium, omnia indiuidua eiusdem speciei inter se esse dissimilia, sed possunt aliqua esse omnino similia. Pone duos modos eiusdem numero subiecti, qui non sunt productiui aliarum rerum, nec fiant, aut vniantur per distinctas vniones aut actiones, sed ex ipsis per se; in his non est vnde possimus aliquam inuenire dissimilitudinem, cum nullam rem respiciat vnus, quam non & alter; ergo.

Dices Primò: Vnus fundat hanc negationem, non sicut alius, quam non fundat alter, ergo in hoc altem differunt inter se. Respondeo, fundare illam negationem, præcisè arguere distinctionem, non verò diuersitatem. Pro quo aduerte, non esse eundem conceptum distinctionis & diuersitatis, alioquin quia Petrus & Paulus sunt adæquatè distincti, essent etiam adæquatè diuersi, quòd est falsum. Ratio à priori, quia distinctio præcisè dicit, hoc non esse illud; diuersitas verò dicit, non esse sicut illud. Hoc ergo posito, respondeo, hoc quòd est, fundare illam negationem, includi formalissimè in conceptu distinctionis, prout distinguitur à conceptu diuersitatis; nam fundare illam negationem, nihil est aliud, quàm hoc non esse illud: hoc autem formalissimè est conceptus distinctionis, scilicet, hoc non est illud, vnde nego illas negationes arguere diuersitatem.

Dices Secundò: Non possunt dari duo indiuidua, quantumuis similia, quæ non sint respectiua distinctorum terminorum, ergo nec quæ sint omnino similia. Consequentia est bona ex dictis à nobis n. 224. vbi probauimus dissimilitudinem inter cognitionem de Petro, & cognitionem de Paulo, eò quòd respiciant distinctos terminos. Antecedens autem patet, quia, licet ponantur duo modi eiusdem omnino subiecti, & nullatenus productiui, habebunt saltem respectum ad distinctas cognitiones; vnus enim est cognoscibilis diuersà cognitione ab alio, ergo saltem in hoc debent differre. Hæc sola obiectio negotium facessit, nihilominus respondeo ex dictis in solutione præcedentis, sicut hoc, quòd est Paulum habere negationem Ioannis præcisè arguit distinctionem, non verò diuersitatem (quòd de negationibus illis verum etiam est, quia id omne includitur in conceptu formali distinctionis, prout distincto à conceptu diuersitatis) ita similiter nunc dico, vnum esse cognoscibile distinctà cognitione ab alio, non arguere diuersitatem, quia hoc includitur necessariò in conceptu distinctionis, sicut in eodem conceptu includitur vnum posse existere sine alio, posse vnum attingi physicè sine alio, moneri, &c. nam quoad hoc idem est posse vnum attingi intentionaliter sine altero, ac attingi physicè: & sicut ex hoc non inferitur diuersitas, sed sola distinctio, ita nec ex illo. Quando autem nos supra probauimus dissimilitudinem indiuidualem, desumpsimus argumentum ex prædicatis non inclusis formaliter in conceptu distinctionis, quia sunt representare hoc obiectum & non illud; vnite

vnire hoc subiectum, non illud, quæ non includuntur in conceptu distinctionis formaliter (etenim duæ repræsentationes eiusdem obiecti habent adæquatam conceptum distinctionis, & tamen repræsentant idem obiectum) ideoque rectè ex his prædicatis inferitur diuersitas, non verò ex illis.

SECTIO VIII.

Vtrum duæ Animæ specie diuersæ possint esse perfectione æquales.

255 **D**ixi initio Sectionis præcedentis, quætionem hanc communem esse etiam omnibus rebus inanimatis, de quibus omnibus quaerimus, vtrum eo ipso quod differant specie, debeant etiam inæquales esse in perfectione. Supponimus, plures esse inæquales: etenim perfectior est anima rationalis, quam forma equi; item hæc perfectior est, quam forma plantæ, &c. Communis veterum Philosophorum sententia tueretur, omnes species necessariò futuras inæquales sicut omnes numeri, eo ipso quod sint diuersi, sunt etiam necessariò inæquales: & hinc ortum traxit commune illud axioma, *Species sunt sicut numeri.* Pro hac sententiâ stant etiam plures ex recentioribus, præsertim Thomistis. Eandem tenent P. Vasquez Tomo 2. in 1. Partem, Disputat. 121. à num. 11. P. Suarez Tomo 2. Metaphysicæ, Disput. 29. sect. 3. num. 16. licet ibi probabile reputet oppositum, & argumenta pro propria sententiâ non esse efficacia fateatur.

256 Suadetur Primò hæc sententiâ ex Aristotele id pluribus in locis docente. Sed facilè potest Aristoteles explicari de speciebus communiter loquendo, non autem quia id sit de conceptu formali diuersitatis specificæ.

Prima ergo ratio sit: Quæ inæqualiter distant ab ente, non possunt esse inter se æqualia, vt ex terminis videtur manifestum; sed omnes species inæqualiter distant ab ente, alioquin non erunt diuersæ, ergo omnes species sunt inæquales. Respondeo, Maiorem & Minorem prædicti syllogismi esse aperte falsas. Maiorem quidem: nam licet vna species plura prædicata superiora participet quam altera, potest tamen hæc per vicium prædicatum compensare, imò & excedere perfectionem plurium prædicatorum quæ in alterâ reperiuntur. etenim Angelus per solum prædicatum intellectiui excedit prædicata equi, nutritiui, sensitui, hincibilis, quæ numero plura sunt. Virgo eandem veritatem, quia homo minùs distat ab ente quam equus (homo enim est immediata species animalis, equus verò habet supra se genus bruti, medium inter animal & ipsum equum) & tamen homo perfectior est equo, ergo habere prædicata plura superiora, non arguit perfectionem maiorem, neque è contrario habere pauciora: nam lapis v. g. pauciora prædicata continet, quam equus, & tamen hic est perfectior illo; ergo distare magis aut minùs ab ente, non arguit maiorem vel minorem perfectionem, sed hæc ponderanda est ex propria ratione specificâ cuiuslibet. Quod verò Minor sit etiam falsa, scilicet, duas species non posse æqualiter ab ente distare, probatur faciliùs: nam leo & equus v. g. æqualiter distant ab ente, & tamen sunt diuersi

specie; ergo. imò necessarium est, vt quodlibet genus habeat sub se duas immediatas species, & consequenter illæ duæ species debent æqualiter distare ab ente, sicut duo fratres æqualiter distant ab Adamo. Ecce ergo quanta sit vis prædicti argumenti.

Sed dices, per maiorem distantiam ab ente à te intelligi, non quidem excessum in numero prædicatorum, sed excessum in perfectione, quo sensu vera est Maior propositio, scilicet, quæ inæqualiter distat ab ente, non esse æqualia; item & Minor vera est, scilicet, non posse distare æqualiter ab ente duas species. Sed contrâ, quia si in hoc sensu accipis prædictas propositiones, assimis pro Maiori propositione identicam, scilicet, Quæ sunt inæqualia, dicit etiam esse inæqualia, ergo. Respondeo, omnimodam dissimilitudine dicere inæqualitatem: neque enim, quæ conueniunt saltem in hoc, quod est, non excedi mutuo, possunt omnino esse dissimilia; nego verò, aliqualem dissimilitudinem etiam sufficientem ad diuersificandum specie, includere necessariò inæqualitatem, vt infra probabitur, præsertim cum omnes species habeant conuenientiam aliqualem in multis prædicatis. Cur ergo non poterunt in perfectionis magnitudine esse similes, quantumcumque differant specie, ob alia capita.

Tertiò potest argui: Duæ quantitates quantitatiuè diuersæ, sunt necessariò inæquales, ergo & duæ res essentialiter diuersæ, debent etiam essentialiter esse inæquales. Distinguo Antecedens: duæ quantitates diuersæ in magnitudine, sunt inæquales in magnitudine; concedo Antecedens, nam inæqualitas in magnitudine non est nisi diuersitas in magnitudine, magnitudo enim est species æqualitatis; & sicut esse diuersas in æqualitate est, esse inæquales, ita etiam, esse diuersas in magnitudine, est etiam esse inæquales in quantitate molis; ex quo nihil contra nos: nam quæ sunt æqualia, non differunt in magnitudine formaliter, sed in rebus magnis; sicut etiam duo palmi diuersarum quantitarum, v. g. celestis & sublanaris, non differunt in magnitudine, differunt tamen in proprijs essentijs, quæ habent eam magnitudinem. Et hic sit secundus sensus, quem potest habere supra positum Antecedens, scilicet, eo ipso quod duæ res magnæ quantitatiuè differant in proprijs essentijs, debere etiam differre in magnitudine; vt sic autem falsum est Antecedens, & consequenter argumentum caret difficultate.

Ergo dicendum est, posse duas species diuersas æquialere sibi in perfectione, id est, tales esse, vt non valeat plus, nec magis aestimetur vna quam altera. Quod probatur Primò solutione argumentorum oppositæ partis. Deinde ex relationibus diuinis, quæ, vt distinctæ virtualiter ab essentiâ, sunt dissimiles & diuersæ inter se, & notabiliter quidem, sunt tamen omnino æquales, iuxta illud Athanasij in Symbolo, *coæterni sibi sunt, & coæquales*, quæ æqualitas illis, vt præcibus